

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Menippus sive dialogorum satyricorum centuria inanitatum nostrativum speculum**

**Andreä, Johann Valentin**

**Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618**

21. Edvgatio principis

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

se. *A.* Fortè Neronis, stultitiæ, calvitii, Podagriæ, surditatis, pediculi encomia, offenderunt? *B.* O utinam non deteriora illis Nundinæ adferant! illi ludendo docent: hi urgendo nocent. *A.* At ne quid ludendo nimis. *B.* Erit opinor Satyrarum libertas bonis semper innoxia. *A.* Libertas sanè, non petulantia. *B.* Vah, ut literatorum impietatem agnovi, miror nondum scriptum esse Christi innocentissimi vituperium.

21 EDVCATIO PRINCIPIS.

**A**N On mirabor posthac, uni homini tot hominum imperium committi, cum omnes artes, naturæque beneficia in unum conferantur. *B.* Irâne credis Heroum filios exactius formari, ac supra communem sortem felicius. *A.* Imò & compendiosius, & fidelius: nam quæ magno nobis labore constant, & invidis extorquenda prope sunt, ea omnium facilitate & promptitudine illis patent. *B.* Hinc est quod supra humanam conditionem & sapiunt, & fortes sunt, ac orbi salutare? *A.* Sic arbitror. *B.* At qui ex his multi imbecillitates suas ingenue fatentur, tum regiminis onera in alios reiciunt. *A.* Ita conuenit; quis enim nisi centoculus, & centimanus omnibus sufficiat? *B.* Non id volo, sed ipsos imperii clayos regere nonnunquam, qui indigni sunt & nulla re instructi, ut violentia potius sit imperandi artificium, quam industria. *A.* Suspicaris id. *B.* Certus sum: nam tonfores, & cytharæodos, & aleatores & ganeones, ac quod mireris, lenones.

EDUCATIO PRINCIPIS. 39

lenones & circulatoros ex historiis tibi produc-  
cam, qui regibus imperitarint. *A* Quam Regnis  
bene consultum fuisse autumas? *B* Fortasse nec  
feliciter, nec deterius; ipsa enim imperii moles &  
tantus hominum numerus semetipsum servare  
mihi creditur. *A* Nonne vero Principis gloriae  
cedit, qui quid ubique gloriosi geritur? *B* Verè;  
nam & structurarum & consiliorum, & statuto-  
rum, & confessionum, victoriarum laudem  
habent, quibus aut parum, aut nihil contule-  
runt. *A* Ecquid interim secum cogitant? *B* Pu-  
to ridere nostras adulationes, & servilia elogia,  
cum tale quid nihil intra se reperiunt, quod nos  
anxie vel adulatorie fingimus. *A* Nihil igitur  
proficiat tam exacta rerum omnium informa-  
tio? *B* Ego imperfectissimam omnium arbitror:  
quia non ad verum adolescentum usum forma-  
ta, sed beneplacitum. *A* Atqui illi passim cum  
æqualibus suis armis certant, & literis. *B* Puerile  
certamen est, ubi non omnibus viribus collucta-  
ri licet sed pro illorum victoria. *A* At rerum co-  
gnitionem non negabis. *B* Circumfusus radiis  
augustior est quam exactior. *A* Libri verò, non-  
ne absque respectu docent? *B* Ubique adulation-  
um plus est, quam veritatis. *A* Natura saltem  
doceat. *B* Vbi tot blandimenta, & approbatio-  
nes sunt, & sui & naturæ & Dei notitia facile e-  
labitur. *A* Quem denique præceptorem dabis?  
*B* Equum generosum, qui nulla assentatione,  
vel aulico furo infessorem peritum bene vehat,  
imperitum & importunum, excutiat.